

secundo supra ducentesimo. Nec defuere magnalia, quibus in terris gloriam Sanctorum suorum pateferi placuit Altissimo: Babylon quippe et Migdonius, licet ex familia praesidis, Christiani tamen, ipsa quoque filia Aemiliani caelos scandere egregios Christi athletas, Angelorum choris stipatos coronisque redimitos, nocte superveniēte Christiani ad amphitheatrum currētes Martyrum cineres collectos, prout quisque potuit, sibi vindicavit. Sanctus vero Fructuosus apparens monuit, ut, quod unusquisque pio furto de sacris cineribus usurpaverat, restitueret, unoque in loco simul condendos curaret. Postea in Ligures sacra pignora transportata sunt, servanturque prope Genuam in Benedictinorum cenobio, ultra ea, quae Manresa et in ecclesiis Tarraconensi, et sanctae Matronae Barcinonensi pie coluntur. **¶** Tamquam.

In iij. Nocturno, Homilia. Dominus ac Redemptor. de Communi plurim. Mart. j. loco.

(Ex decreto concessionis Officiam Eccles. Tarracon. die 15. Febr. 1727, quam tot. Hisp. 24. Jan. 1728.)

DIE XXII. JANUARI.

S. Vincentii

Levitae et Martyris.

Duplex ij. classis cum Oct. IN I. VESPERIS.

**Añæ. 1.** Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum, qui lassus est verbo.

**Psalmi ut in j. Vesp. de Communi Apostolorum.**

**2.** Repletus sum fortitudine Spiritus Domini, ut annuntiem Jacob scelus suum.

**3.** Sapientia et fortitudo Domini sunt tibi, Deus confiteor, quia dedisti mihi.

**4.** Dedit mihi Dominus scientiam sanctorum, et honestavit me in laboribus.

**5.** Certamen forte dedit mihi Dominus, ut vincerem, et scirem quoniam omnium potentior est sapientia.

**Capitulum.**

**Sap. 10.**

**U**stum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei, et dedit illi scientiam sanctorum: in fraude circumventium illum affuit illi, descenditque cum illo in foveam, et in vinculis non dereliquit illum.

**Hymnus.**

**P**artas horrifico supplicii modo Palmas atque decus Martyris inclyti

Festivo resonent carmine pectora

Exsultantia gaudio.

Cesserunt furiae, cessit atrocitas

Illaudata feri iudicis, ignium,

Vincenti, rabies fugit, abest procul

Cædis triste periculum.

Truduntur rapidis sæcula sæculis

Et cursu revolant irrevocabili,

Stat, semperque sacris statbit honoribus

Laus immobilior tua.

Te, lucēte polo donec eant dies

Laudabunt homines, plausibus æthere

Responsabit ovans coetus, et aurea

Numquam plectra silentia.

Summa laude Pater, Natus et unicus,

Dicatur pariter Nexus amabilis,

Indivisa manens numine Trinitas

Nunc, olim, sine termino. Amen.

**V.** Fuit magnus secundum nomen suum. **¶** Maximus in salutem electorum Dei.

**Ad Magnificat, Añæ.** Cum transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te: cum ambulaveris in igne, non com-

bureris, et flamma non ardebit in te.

**Oratio ut ad Laudes.**

AD MATUTINUM.

**Invit.** Beatus Vincentius Christi Martyr triumphat coronatus in caelis: **Venite, adoramus Dominum.**

**Ps.** Venite, exultemus.

**Hymnus.**

**D**elassata senis lingua Valerit

Quæ proferre nequit, dogmata nuntians,

Certo martyrio non timido pede,

It Vincentius obviam.

Sectus sanguineo verberetur trahitur

Mactandus fidibus discruciantibus;

Intēns variat carnificis furor

Instrumenta doloribus.

Prunis suppositis cræteque færea,

Vim perferre diu cogitur igneam,

Quam solum valeat sancta repellere

Ardens pectore caritas.

Uncis viva caro scinditur unguis,

Candentes renovant vulnere laminæ,

Dejectum piceis in specubus premunt

Testæ corpus aculeis.

Vis audire novum supplicii genus?

Sic fessum thalamo purpureo locant



Inter delicias sértaque flóra :  
Nec constantia frángitur.

Summa laude Pater, Na-  
tus et únicus,

Dicátur páriter Nexus  
amábilis,

Indivisa manens númine  
Trínitas

Nunc, olim, sine término.  
Amen.

In I. Nocturno.

**Aña.** Factus es suscéptor  
meus Dómine, et refúgium  
meum in die tribulatiónis  
meæ.

**Psalmi trium Nocturno.**  
**de Communi unius Mart.**

**Aña.** In quocúmque loco  
fúeris Dómine, sive in  
morte, sive in vita, ibi  
erit servus tuus.

**Aña.** Magnificábitur  
Christus in córpore meo,  
sive per vitam, sive per  
mortem.

**V.** Fuit magnus secún-  
dum nomen suum. **R.** Má-  
ximus in salútem electó-  
rum Dei.

De libro Apocalypsis  
beáti Joánnis Apóstoli.

**Lectio j.** Cap. 2. et 3.

**H**ÆC dicit, qui tenet  
septem stellas in  
dextera sua, qui  
ámbulat in médio septem  
candelabrórum aureó-  
rum : Scio ópera tua, et  
labórem et paciéntiam  
tuam, et quia non potes  
sustinére malos : et tentá-

sti eos, qui se dicunt Apó-  
stolos esse, et non sunt :  
et invenisti eos mendá-  
ces : et sustinuisti propter  
nomen meum, et non de-  
fecisti. Qui habet aurem,  
áudiat quid Spiritus di-  
cat : Vincéti dabo édere  
de ligno vitæ, quod est in  
paradíso Dei mei. Hæc  
dicit primus et novissimus,  
qui fuit mórtuus, et vivit :  
Scio tribulatióem tuam  
et paupertátem tuam, sed  
dives es : et blasphemáris  
ab his, qui se dicunt Ju-  
dæos esse, et non sunt,  
sed sunt synagóga sátanæ.  
Nihil horum tímeas  
quæ passurus es. Esto fi-  
délis usque ad mortem, et  
dabo tibi corónam vitæ.

**R.** E cælo membra ista  
possideo, \* Sed propter  
Dei leges nunc hæc ipsa  
despicio, quóniam ab ipso  
ea me receptúrum spero.

**V.** Ego non solum alligá-  
ri, sed et mori parátus sum  
propter nomen Dómini  
Jesu. — Sed.

**Lectio ij.**

**H**ÆC dicit, qui habet  
rhomphæam utrá-  
que parte acútam : Scio  
ubi hábitas, ubi sedes est  
sátanæ : et tenes nomen  
meum, et non negásti fi-  
dem meam. Vincéti da-  
bo manna absconditum,  
et dabo illi cálculum cán-  
didum : et in cálculo no-

men novum scriptum,  
quod nemo scit, nisi qui  
accipit. Et hæc dicit Fi-  
lius Dei, qui habet óculos  
tamquam flammam ignis,  
et pedes ejus similes auri-  
chálco : Novi ópera tua et  
fidem, et caritátem tuam,  
et ministérium et pacién-  
tiam tuam, et ópera tua  
novissima plura prióribus.  
Qui vicerit et custodierit  
usque in finem ópera mea,  
dabo illi potestátem super  
gentes, et reget eas in vir-  
ga férrea, et tamquam  
vas figuli confringéntur,  
sicut et ego accépi a Pa-  
tre meo : et dabo illi stel-  
lam matutinam.

**R.** Angústia sunt mihi  
úndique : \*Mélius est mi-  
hi absque ópere incidere  
in manus vestras, quam  
peccáre in conspéctu Dó-  
mini. **V.** Víncula et tri-  
bulatiónes me manent :  
sed nihil horum véreor. —  
Mélius.

**Lectio iij.**

**Q**UI habet septem Spí-  
ritus Dei et septem  
stellas, hæc dicit : Scio  
ópera tua : esto vigilans,  
et confirma cétera, quæ  
moritúra erant. Qui vice-  
rit, vestiétur vestiméntis  
albis, et non delebo no-  
men ejus de libro vitæ, et  
confitébor nomen ejus co-  
ram Patre meo, et coram  
Angelis ejus. Et Sanctus

et Verus hæc dicit : Scio  
ópera tua, et dedi coram  
te óstium apértum, quod  
nemo potest cláudere ;  
quia habes virtútem, et  
servásti verbum meum, et  
non negásti nomen meum.  
Fáciam ut de synagóga  
sátanæ véniant, et adórent  
ante pedes tuos : et scient  
quia ego diléxi te : quón-  
iam servásti verbum pa-  
tiéntiæ meæ, et ego ser-  
vábó te ab hora tentatió-  
nis, quæ ventúra est in  
orbem univérsum. Tene  
quod habes, ut nemo ac-  
cipiat corónam tuam. Qui  
vicerit, fáciam illum col-  
úmnam in templo Dei  
mei, et scribam super eum  
nomen Dei mei, et nomen  
civitátis Dei mei, novæ Je-  
rúsalem, et nomen meum  
novum. Ethæc dicit amen,  
testis fidélis et verus, qui  
est princípium creatúræ  
Dei : Qui vicerit, dabo ei  
sedére mecum in throno  
meo : sicut et ego vici, et  
sedi cum Patre meo in  
throno ejus.

**R.** Dómine, qui habes  
sanctam sciéntiam, mani-  
feste tu scis, quia, cum a  
morte possem liberári,  
\*Duros córporis sustíneo  
dolóres : secúndum áni-  
mam vero propter timó-  
rem tuum libénter hæc  
pátior. **V.** Pátior, sed non  
confúndor : scio cui cré-



didi. — Duros. Glória Patri. Duros.

In II. Nocturno.

**Añ.** Stetit contra reges horréndos in porténtis et signis.

**Añ.** Torménta suscepit ita ut miraréntur, quod tamquam nihilum dúceret cruciátus.

**Añ.** Probávit me Dóminus quasi aurum, quod per ignem transit.

**V.** Si consistant advérsus me castra, non timébit cor meum. **R.** Si exsúrgat advérsus me prælium, in hoc ego sperábo.

**Lectio ib.**

**Ex SS. Aug. et Leon. Serm. de S. Vincent.; ex Prud. Carm. 5. et Act. apud Ruinart.**

 Incéntius Martyr ille exímus, quem Paulinus Hispaniárum vocat decus et ornámentum; quem devótis ádeo Augustinus cóluit obséquis, ut sermónibus quinque laudes ejus dixerit: quem hymnis et carminibus Prudentius cécinnt Mártirem toto terrárum orbe celebérrimum: Oscæ in Hispania citerióre nóbili ortus genere, Valério Cæsaraugustáno Episcopo, máximæ sanctitátis viro, lítteris et disciplinis informándus ab infántia tráditus est. Qui in

doctrína et virtúte gradu céleri sic est progressus, ut, a Valério ordinátus Diáconus, ab eódem Præsule, qui propter linguam impeditiorem verbi ministério minus erat idóneus, prædicándi partes accéperit. Dum autem crédítum sibi munus summa cum laude, fructu nec minóre adimplet, in persecutióne Diocletiani comprehénsus, Valentiam in Hispania ad Daciánum præsidem vinctus dúcitur.

**R.** Hanc tentatióem, **\* Ideo** permisit Dóminus evenire illi, ut pósteris darétur exéplum paciéntiæ ipsius. **V.** In labóribus plúrimis, in carcéribus abundántius, in plagis supra modum, in mórtibus frequéter. — Ideo.

**Lectio v.**

**V**erum quem coram fracto a labóribus ánimo prædicáverat, invicta a supplicii constántia coram tyránno Christum professus est. Christiánæ religiónis cultórem se aurum própalam dicere, præsidis furéntis jussu vinctus, retórtis bráchiis exténsus est, donec ossa sédibus suis singula moveréntur. Mox férreis úngulis semel atque iterum excarnificátus est. Ipse autem spretis

torméntis immótus ac quasi esset sine ullo dolóris sensu, nec minis nec iterátis cruciátibus addúci pótuit, ut thus idólis adoléret, neque ut libros sacros tráderet. Quapropter craticulæ subjéctis ardéntibus prunis impónitur; applicántur membris lámínæ; decúrrit inter candéntis ferri asperitátem liquor; stridens flamma arvína respérgitur; salis ignibus sparsi crepitántes minútia per membra dissiliunt. Intérea Martyr invictus eréctis in cœlum óculis, Dóminum præcábatur.

**R.** Probávit me Deus quasi aurum, quod per ignem transit: **\* Vestigia** ejus secúsus est pes meus: viam ejus custodívi, et non declinávi ex ea. **V.** Ad cognoscéndum Christum et societátem passiónum illius, configurátus morti ejus. — Vestigia.

**Lectio vi.**

**P**ost hæc in cárcere testáceis fragméntis strato disténditur, ut testárum acúlei vulnérum dolórem exasperárent. Sed illustráto cœlitis cárcere, Angelórum fovétur obséquio, allóquio mulcéatur, solútis néxibus deambulans psallit, cónsonat vocis angélicæ moduláta

suávitás. Quod per rimas conspiciéntes stupefacti cárceris custódes Christiánæ religióni fidéliter se dedunt. Edúctus inde Vincéntius molli cúlctiæ impónitur, ut aliquántulum recreátus ácrius dénuo torquerétur. Verum pretiósam resolutus in mortem, Daciáno inániter de supplicio cogitánte, Deo autem cleménte disponénte de præmio, cœlo spíritum réddidit. Circumstantium frequéntia Sancti vestigia deosculádo prolámbit, vulnérata totius láceri córporis pia curiositáte palpat, sanguinem línteis excipit, sacra veneratióne pósteris profutúrum. Conténdit adhuc cum mórtuo cadávere Daciánus. Sed frustra feris óbjeicit. Corax namque custos cœlitis designátur, qui eas trucémque lupum rostro et alis a thesauro sibi crédito remótius arceat. Frustra prójicit in mare; quod étenim minime apparére satégerat, nutu divíno semper próditur corpus, ut religiosius humándum, inquit Augustinus, venerándumque demonstrarétur.

**R.** Post tempestátem tranquillum facis Dómine; et post lacrymationem et fletum exsultationem



tum intulerat in cœlum, corpus mox rétulit ad sepulcrum. Sic prædicator veritatis, carissimi, nec tormentorum vincitur pœnis, nec tenebrôsi carceris superatur angustis. Non a bestiis dilaniatur, non profundo celatur, sed litatori redditur, præcônio diffamatur: ut, qui vere confessus fuerat nomen Deitatis, veritate sibi adesse experiretur divinæ suffragia bonitatis: consequensque erat, quatenus ad ejus visionem per mortem attingeret, quem probabilis vitæ conversatione semper attestatus fuisset; sciens quod de contemptu præsentis vitæ gloria surgit beatitudinis æternæ. *R.* Post tempestatem.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

*Lectio vij. Cap. 10.*

**I**N illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Et reliqua.

De Homilia sancti Augustini Episcopi.

*Serm. 276. et 277.*

in Festo S. Vincentii Mart.

**I**N passione, quæ nobis hodie recitata est, fratres mei, evidenter ostenditur

judex ferox, tortor crudentus, Martyr invictus. In cuius corpore pœnis variis exarato jam tormenta defecerant, et adhuc membra durabant. Tot convicta miraculis persistebat impietas, tot vexata suppliciis non cedebat infirmitas: agnoscatur ergo operata divinitas. Quando enim corruptibilis pulvis contra tam immânia tormenta duraret, nisi in eo Dominus habitaret? In his enim omnibus ille agnoscendus, ille glorificandus, ille laudandus est, qui et in prima vocatione dedit fidem, et in supræma passione virtutem. Vultis nosse quia utrumque donatum est? Audite Apostolum Paulum: Vobis, inquit, donatum est pro Christo, non solum ut credatis in eum, verum etiam ut patiâmini pro eo. Acceperat hæc utraque Levita Vincentius, acciperat et habebat. Si enim non accepisset, quid haberet? Habebat in sermone fiduciam, habebat in passione tolerantiam.

*R.* Testimonium.

*Lectio viij.*

**C**Lariorem nobis Martyrem tot tormenta faciebant. Multiplici enim vulnerum varietate confossus, non deserbat pu-

gnam, sed acrius iterabat. Putaret quod eum duraret flamma, non ureret: et tamquam figuli fornax lutum molle suscipiens, duram redderet testam. Pôterat Martyr noster dicere Daciáno: Jam non urit ignis tuus carnem meam, quia exaruit velut testa virtus mea. Et quoniam veraciter scriptum est: Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis: probatus est atque decoctus illo igne Vincentius: arsit vero et crepuit Daciánus. Si enim non ardebat, unde clamabat? Quid enim erant verba irascentis, nisi fumus ardentis? Ergo Martyri nostro, refrigerium in corde habenti, flammam extrinsecus admovebat: sed ipse facibus furoris accensus tamquam clibanus intus ardebat, et habitorem suum diabolum concremabat. Non tantum Martyrem cruciabant tormenta, quantum illum vastabat insania.

*R.* Numquid.

*Lectio ix.*

**S**ED jam, fratres, illa omnia transierunt, et ira Daciáni et pœna Vincentii. Nunc autem pœna Daciáno, corona vero manet Vincentio. Hoc attendite. et fidem

vestram interrogate. Sanctus Vincentius si formidine tormentorum negaret Christum, videretur corpori pepercisse: quaedam autem conditione mortali corpore solveretur. Quid ageret in resurrectione, cum in æternum ignem præcipitaretur? Negans Christum, negatur a Christo. Qui negaverit me, inquit, coram hominibus, negabo eum coram Patre meo qui est in cœlis. Ecce negaret, qui escerent illi tortores, et vulnerato animo sanum esset corpus, imo occiso animo viveret corpus: quid prodesset in æternum mortuo brevis corporis vita?

Te Deum laudamus.

*Vesperæ a Capit. de sequenti, Comm. præced. et Octavæ S. Juliani.*

EADEM DIE XXIX.

VEL ALIA DIE.

S. Valerii

*Episc. Cæsaraugustani et Conf. Duplex.*

*Omnia de Comm. Conf. Pont. præter sequentia.*

*Oratio.*

**O**Mnipotens sempiternè Deus, qui sacram beati Valerii Confessoris tui atque Pontificis sollemnitate hodierna die venerari voluisti: nos fá-



AD LAUDES,  
et per Horas, An̄a.

1. Factus est \* Dóminus  
protéctor meus : salvum  
me fecit, quóniam vóluit  
me.

2. Deus meus \* misit An-  
gelum suum, quia coram  
eo justítia invénta est in  
me.

3. Transívi \* per ignem  
et aquam; et eduxísti me  
Dómine in refrigérium.

4. Tamquam prodígium \*  
factus sum multis; et tu  
Dómine adjútor fortis.

5. Bonum certámen \*  
certávi, cursum consum-  
mávi, fidem servávi : in  
réliquo repósita est mihi  
coróna justítiae.

Capitulum. Sap. 10.

**J**ustum dedúxit Dó-  
minus per vias re-  
ctas, et osténdit illi re-  
gnum Dei, et dedit illi  
sciéntiam sanctorum : in  
fraude circumveniéntium  
illum affuit illi, descendít-  
que cum illo in fóveam, et  
in vinculis non dereliquit  
illum.

Hymnus.

**H**eros supplicíis victor  
in ómnibus,  
Elúsus fáti júdicis árti-  
bus,  
Lecti blandítias déserit  
ávolans  
Trans fulgéntia sídera.  
Cœlum prodígíis corpus  
ut íntegrum

Proyéctum médiis perstet  
agris favet :

Custos corvus adest, nec  
vólucres neque  
Accédunt ávidæ feræ.

Judex æquóreis flúctibus  
imperat  
Mergi, reliquís ne páteat  
locus;

Incássum, plácide nam re-  
fluéntibus  
Stans undis superénatat.

Adsis, o! fámulis rite pre-  
cántibus,

Vincénti, rádium lúminis  
ímpetra,

Ne cedat píetas fracta  
perículis,

Succumbátque labóribus.  
Id nostro máneat corde  
recondítum,

Quod torménta brevi præ-  
tereúntia

Æternæ páriunt præmia  
glóriæ

Permansúraque gáudia.  
Summa laude Pater, Na-  
tus et únicus,

Dicátur páriter Nexus  
amábilis,

Indivisa manens Númine  
Trínitas

Nunc, olim, sine término.  
Amen.

\* Custodívit Dóminus  
ómnia ossa justí. **R.** Unum  
ex his non conterétur.

Ad Bened. An̄a. Ampli-  
ficátus est in mirabilibus  
suis : et quis potest simili-  
ter sic gloriári? Poténtia  
nemo vicít illum : et mór-

tuum prophetávit corpus  
ejus : in vita sua fecit  
monstra, et in morte mi-  
rabília operátus est.

Oratio.

**D**A nobis, quæsumus  
omnípotens Deus,  
advérsa mundi invícta  
mentis constántia tolerá-  
re, qui beátum Levítam  
Vincéntium nec minis ter-  
réri nec pœnis passus es  
superári. Per Dóminum.

AD TERTIAM.

Capit. Justum. ut supra.

**R.** br. Fuit magnus, \* Se-  
cúndum nomen suum.  
Fuit. **V.** Máximus in sa-  
lútum electórum Dei. Se-  
cúndum. Glória Patri. Fuit.

**V.** Si consistant advér-  
sum me castra, non timé-  
bit cor meum. **R.** Si ex-  
súrgat advérsum me præ-  
lium, in hoc ego sperábo.

AD SEXTAM.

Capitulum. Sap. 10.

**C**ustodívit illum Dó-  
minus ab inimícis,  
et a seductóribus tutávit  
illum, et certámen forte  
dedit illi, ut víceret, et  
sciret, quóniam ómnium  
poténtior est sapiéntia.

**R.** br. Si consistant ad-  
vérsum me castra, \* Non  
timébit cor meum. Si.  
**V.** Si exsúrgat advérsum  
me prælium, in hoc ego  
sperábo. Non. Glória Pa-  
tri. Si consistant.

**V.** Justus cum ceciderit,  
non collidétur. **R.** Quia  
Dóminus supponit manum  
suam.

AD NONAM.

Capitulum. Sap. 10.

**I**ntrávit Deus in áni-  
mam servi sui, et ste-  
tit contra reges horréndon-  
in porténtis et signis :  
ideo decantávit Dómine  
nomen sanctum tuum, et  
victricem manum tuam  
laudávit páriter.

**R.** br. Justus cum ceci-  
derit, \* Non collidétur.  
Justus. **V.** Quia Dóminus  
supponit manum suam.  
Non. Glória Patri. Ju-  
stus.

**V.** Custodívit Dóminus  
ómnia ossa justí. **R.** Unum  
ex his non conterétur.

IN II. VESPERIS.

An̄a et Capit. de Laud.  
Psalmi ut in j. Vesp. de  
Communi Apostolorum  
et ultimo loco Crédidi.

Hymnus ut in j. Ve-  
speris. 28.

**V.** In sæculum memória  
ejus in benedictióne. **R.** Et  
nominátus est usque ad  
novíssimum terræ.

Ad Magnificat, An̄a. Ré-  
spice ad oratióem servi  
tui Dómine Deus, quam  
orat coram te hódie : ut  
exáudias deprecationem  
pópuli tui.



PRIMA DIE LIBERA  
POST XXII. JANUARIJ.

S. Anastasii

Martyris. Semiduplex.

Omnia ut in Communi  
unius Mart. et in Brev.  
sub die xxij. Januarii.

Oratio.

**A**désto Dómine sup-  
plicationibus no-  
stris : ut, qui ex iniquitate  
nostra reos nos esse cog-  
noscimus, beáti Mártyris  
tui Anastasii interces-  
sione liberémur. Per Dó-  
minum.

In j. Nocturno, Lectiones  
de Scriptura occurrente ;  
in Quadrag. vero. Fratres,  
Debitóres. de Comm. plur.  
Martyrum.

In ij. Nocturno, Lectio iv.  
Anastásius Persa. quæ est  
Lectio vj. in Breviario ;  
Lectio v. et vj. Triumpha-  
lis. ut in Communi unius  
Mart. j. loco.

In iij. Nocturno, Homi-  
lia. Si considerémus. de  
Communi unius Martyris  
j. loco.

DIE XXIII. JANUARIJ.

S. Ildephonsi

Archiep. Toletani, Conf.  
Duplex ij. class. cum Oct.  
Omnia ut inter Officia  
pro aliquibus locis eadem  
die.

Oratio. Deus, qui per  
gloriosissimam. ut ibid.

In j. Nocturno, Lect.  
Fidélis sermo. de Comm.  
j. loco.

Vesperæ de sequentium  
Commem. præcedentis.

¶ Si hoc Festum occur-  
rat in Dominica Septuages-  
simæ, transfertur in pri-  
mam diem non impedi-  
tam, juxta Rubricam Bre-  
viarii.

DIE XXIV. JANUARIJ.

In Descensione

B. Mariæ V.

Duplex ij. classis.

Omnia hic non propria  
ut in Festis B. M. V. per  
Annum.

IN I. VESPERIS.

Añæ et Capit. de Laud.  
Hymnus. Ave maris  
stella.

℟. Dignare me laudare  
te, Virgo sacrata. ℞. Da  
mihi virtutem contra ho-  
stes tuos.

Ad Magnificat, Añæ. Ma-  
gnum hereditatis myste-  
rium : templum Dei fac-  
tus est úterus nescientis  
virum : non est pollutus  
ex ea carnem assumens :  
omnes Gentes venient, di-  
centes : Glória tibi Dó-  
mine.

Oratio ut in Laudibus.  
Commem. præcedentis.

AD MATUTINUM.

In j. Nocturno, Lectiones.  
Ego sapientia.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

**E**UM beátus Ilde-  
phónsus Toletánæ  
Ecclésiæ Archi-  
episcopus hæreticos quos-  
dam, perpétuam Dei Ma-  
tris virginitatem labefa-  
ctare conantes, vi veritatis  
convictos ex universa His-  
pânia depulisset, tanta  
fuit sacratissimæ Virginis  
in servum suum Ildephón-  
sum benignitas, ut hoc  
ejus stúdiu illústri mirá-  
culo comprobáverit. In-  
carnationis enim Filii ejus  
festo, qui die décimo quin-  
to Kaléndas Januarii per  
universam Hispániam ex  
décimi concilii Toletáni  
decréto celebrátur, nocte  
intempésta descendit de  
cælo sanctissima Virgo,  
Virginum et Angelórum  
comitáta choris, et in cá-  
thedra, unde Ildephónsus  
ad pópulum verba fácere  
consuéverat, divina qua-  
dam, et omnem captum  
excedente forma, ac sole  
splendidior consédit, uni-  
verso templo suavissima  
ineffábilis odóris fragrán-  
tia, et cælestis lúminis ma-  
gnitúdine compléto.

℞. Sicut cedrus.

Lectio v.

**Q**UO Ildephónsus ad  
nocturnas preces de  
more veniens, comitibus  
perterritis et pavóre de-

lâpsis, ipse rei quidem  
novitate initio percúsus,  
sed deinde spe erectus, et  
devótæ mentis humilitate  
secúrus, gáudio simul ac  
reveréntia tremens, humi-  
sese ante pedes Virginis  
supplex abjecit : quem sic  
affáta Virgo est : Próspera  
in occursum, serve Dei,  
accipe munúsculum de  
manu mea, quod de the-  
sauris Filii mei tibi átuli.  
Et simul hæc dicens, ve-  
stem Ildephónso induit  
cælesti opificio contéx-  
tam. Et Virgo quidem,  
his dictis, rédiit in cælum :  
Ildephónsus vero, et mi-  
rífica visióne Deo plenus  
et pretiósó dono, fuit cun-  
ctis deinceps ordinibus  
ac géntibus venerándus.  
Quo quidem dono in so-  
lemnioribus beátæ Mariæ  
Virginis sacris intérdum  
est usus.

℞. Quæ est ista.

Lectio vj.

**E**xstat hoc ipso in tem-  
plo lapis, in quo ve-  
tústa majórum traditíone  
ac veneratióne constat,  
Mariam descendentem ve-  
stigio constitisse. Atque  
ut hujus tanti beneficii  
memóriam nulla unquam  
injúria téporum, aut  
oblivio deléret, Toletána  
Ecclésia in stemmátibus  
illam suis atque insigni-  
bus ubique repræséntat.



Annua prætereā celebratam ad eam rem instituit : quæ, quod ipse dies, quo Virgo descendit, in Dominicæ incarnationis commemoratione sit occupatus, in nonum Kalendas Februarii, qui dies est a morte Ildephonsi proximus, translata est : ut ex mutua utriusque solemnitatis conjunctione, sanctissimi Patris natalis dies splendidior esset. Quo item die (ut memoriæ pròditum est) urbe Régia longo post tempore e Saracenis recepta, cum Bernardus Archiepiscopus Reginæ Constantiæ opera templum maximum, absente rege, contra pacta cum Mauris inita, ex Mezquita Ecclesiam Dei reddidisset, graviter id ferentibus Mauris divinitus tandem placatis, huic festo Pacis nomen inditum est. *R.* Ornata.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

*Lectio viij.* *Cap. 2.*

**I**N illo tempore : Pastores loquebantur ad invicem : Transeamus usque Bethlehem, et videamus hoc verbum quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. Et venerunt festinantes. Et reliqua.

Homilia sancti Ildephonsi Archiepiscopi Toletani.

*Lib. de Virginit. B. M. V.*

**M**Atcinantium ad hoc summa portio recta est ut de Spiritu sancto, et Maria semper Virgine fieret hoc est Verbum caro : fieret Deus homo, fieret humanum, quod erat divinum, non diminutione deitatis, non interitu æternitatis, non commutatione incommutabilis veritatis, sed assumptione carnis, sed participatione hominis, sed societate humanitatis : sicque in unione personæ idem sit Verbum, qui caro; idem sit homo, qui Deus; idem sit in quo divinitas, et in quo humanitas est.

*R.* Felix namque... tuam sanctam Descensionem.

*Lectio viij.*

**A**C per hoc juxta Jeremiam, ipse unus Christus sit Deus, qui invenit omnem viam prudentiæ, qui et cum hominibus conversatus est homo. Juxta Psalmistam, ipse sit homo in Sion natus, qui fundavit eam Deus. Deus excelsus juxta Isaiam, qui dixit : Quiescite ab homine, cujus spiritus in naribus ejus, quia excelsus reputatus est. Ipse sit homo, in cujus humanita-

tis aspirationibus divinitatis ejus spiritus est : qui sit et Deus, qui est reputatus excelsus.

*R.* Beata me.

*Lectio ix.*

**J**uxta David, ipse sit Dominus Deus, ad quem loquitur Dominus Deus : ipse sit homo, qui sedet a dextris Dei. Juxta Isaiam, ipse sit homo, qui parvulus natus est nobis : qui sit et Deus, qui filius Dei datus est nobis. Juxta Psalmistam, ipse sit Deus, cui dicitur : Sedes tua Deus in sæculum sæculi : qui sit homo, qui per exsultationis oleum sancto Spiritu dicitur unctus. Te Deum laudamus.

AD LAUDES,

et per Horas, Anæ.

1. O admirabile commercium : \* Creator generis humani, animatum corpus sumens, de Virgine nasci dignatus est : et procedens homo sine semine, largitus est nobis suam Deitatem.

2. Quando natus es \* ineffabiliter ex Virgine, tunc impletæ sunt Scripturæ : sicut pluvia in vellus descendisti, ut salvum faceres genus humanum : te laudamus Deus noster.

3. Rubum quem viderat \* Moyses incumbustum,

conservatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem : Dei Genitrix intercede pro nobis.

4. Germinavit radix Jesse, orta est stella ex Jacob : Virgo peperit Salvatorem : te laudamus Deus noster.

5. Ecce Maria genuit \* nobis Salvatorem; quem Joannes videns exclamavit, dicens : Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, alleluia.

*Capitulum.* *Eccli. 24. b.*

**A**B initio, et ante sæcula creata sum, et usque ad futurum sæculum non desinam, et in habitatione sancta coram ipso ministravi.

*Hymnus.*

**O** Gloriosa Virgine,  
Sublimis inter sidera,  
Qui te creavit, parvulum,  
Lactente nutris ubere.  
Quod Heva tristis abstulit,  
Tu reddis almo germine :  
Intrent ut astra flébiles,  
Cæli recludis cardines.  
Tu Regis alti janua,  
Et aula lucis fulgida :  
Vitam datam per Virginem  
Gentes redemptæ plaudite.  
Jesu, tibi sit gloria,  
Qui natus es de Virgine,



Cum Patre, et almo Spiritu,  
In sempiterna saecula.

Amen.

*V.* Diffusa est gratia in labiis tuis. *R.* Propterea benedixit te Deus in aeternum.

*Ad Benedictus, Añā.* Mirabile mysterium declaratur hodie: innovantur naturae: Deus homo factus est: id quod fuit permansit, et quod non erat assumpsit; non commixtionem passus, neque divisionem.

*Oratio.*

**D**eus, qui salutis aeternae, beatæ Mariæ virginitate fecunda, humano generi præmia præstitisti: tribue quæsumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ suscipere Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

*R.* Amen.

AD TERTIAM.

*Capit. Ab initio supra.*

*R. br.* Spécie tua, \* Et pulchritudine tua. *Spécie.* *V.* Intende, prospere procede, et regna. Et pulchritudine. *Gloria Patri.* Spécie tua.

*V.* Adjuvabit eam Deus vultu suo. *R.* Deus in medio ejus, non commovetur

AD SEXTAM.

*Capitulum. Eccli. 24. b*  
**E**t sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificata similiter requievi. Et in Jerusalem potestas mea. Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei hereditas illius, et in plenitudine sanctorum detentio mea.

*R. br.* Adjuvabit eam, \* Deus vultu suo. Adjuvabit. *V.* Deus in medio ejus, non commovetur. Deus. *Gloria.* Adjuvabit.

*V.* Elegit eam Deus, et praelégit eam. *R.* In tabernaculo suo habitare facit eam.

AD NONAM.

*Capitulum. Eccli. 24. b*  
**I**n platéis sicut cinnamomum, et balsamum aromatizans odorem dedi: quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris.

*R. br.* Elegit eam Deus, \* Et praelégit eam. Elegit. *V.* In tabernaculo suo habitare facit eam. Et praelégit. *Gloria Patri.* Elegit.

*V.* Diffusa est gratia in labiis tuis. *R.* Propterea benedixit te Deus in aeternum.

IN II. VESPERIS.

*Omnia ut in primis: sed ad Magnif. Añā.* Sancta Maria succurre miseris, juva pusillanimes, refove

flébiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam sanctam Descensionem.

*Commemoratio sequentis et S. Petri tantum.*

DIE XXVI. JANUARI.

S. Paulæ

*Viduæ. Semiduplex.*

*Omnia de Communi nec Virg. nec Mart. præter sequentia.*

*Oratio.*

**D**eus, qui beatam Paulam famulam tuam, spretis mundi deliciis, post insignia virtutum incrementa, ibi voluisti nasci caelo, ubi Unigenitus tuus natus est mundo: concede propitius, ut ejus exemplo terræ cuncta despicientes, cælestia consequi mereamur. Per eundem Dominum.

*Commem. Octavarum. In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.*

In II. Nocturno.

*LECTIO I<sup>a</sup>.*

*Ex Epist. 27. S. Hieron.*

**A**ula matróna Romana e nobilissimo senatorum genere, sed vitæ sanctitate multo nobilior, mortuo Toxotio, parvis nobilitatis

viro, cui quinque liberos ediderat, totam se ad Dominum convertit, et copiosas coepit divitias in Christi pauperes tanto affectu erogare, ut eos tota Urbe perquireret, et damnum putaret, (ut de ea sanctus Hieronymus scribit) si quisquam debilis, et esuriens cibo sustentaretur alterius; quo in studio usque ad mortem perseverans, dicebat interdum, se id voti habere, ut mendicans moreretur, et in suo funere aliena sindone involveretur. Cum autem ob quasdam Ecclesiarum dissensiones, Orientis et Occidentis Episcopi Romam sancto Damaso Pontifice convenissent, sanctum Epiphanium Saminæ Cypri Episcopum hospitio excepit, et Paulinum Antiochiæ omnibus caritatis officiis colere studuit; quorum accensa virtutibus, patriam deserere et ad eremum pergere gestiebat. Quare urbis frequentiam, et ora laudantium fugere festinans, et parvulam Bethlehem Romæ præferre volens, tandem ad portum Romanum navigatura descendit, fratre, propinquis, ac liberis prosequentibus, et piam matrem materna caritate retinere cupienti-